

dandumque Cœnobium; amplamque singuli patrimonij partem contulere. Ac Bernardus de Lippia ad hanc rem recepit omnia feuda, quæ priori bello amiserat, ab Henrico Arensbergensi Comite, idque per Philippum Colonensem Archiepiscopum impetratum; id quod x vetustis tabulis docet Cleinsorgius. Quanquam post Hermannum Episcopum nemo largius de condendo hoc Cœnobio meritus, juam Widekindus Dynasta in Rheda, opulentus Monasterij Leisbor-nensis, Hertzebrochensis, & Freckenhorstensis Advocatus; is postquam haud multo post cum Friderico Imperatore profectus in Pa-æstinam, advocatias trium Cœnobiorum, quas ab Hermanno Epi-copo acceperat, ultro renunciavit Episcopo; possessiones verò ce-teras ac Ministeriales Cœnobio Mariæ Campi transcripsit: voto simul edito, si incolumis rediret, religiosum se habitum in eodem Cœno-bio sumpturum. Sed cum ea in expeditione occumberet, ossa per fidum militem reportata in Westfaliam, conditaque sunt in Basilica Campi Mariæ. Igitur ex testamenti tabulis, ante profectioem scri-ptis, celsere Cœnobio sexaginta prædia, & pagus Hauswinckel. Mi-nisteriales verò, consentiente Abbate, transiere ad Bernardum Comi-tem de Lippia; cum, qui in locum Rhedani post anno 1192 mona-asticam in eodem Cœnobio vitam est amplexus. Ita duo illi celebres per id tempus Westfalix heroës, per contemptionem rerum huma-narum vitam Deo consecrârunt. Primus Marienfeldensis Cœnobij Abbas Eggehardus rogatu fundatorum impositus, transmissusque à Nicolao Herfwithufano seu Hardehusano Abbate, à quo inter reli-giosos sui Cœnobij ad omnis virtutis formam excultus erat; ut jam illustre illud Marienfeldense Cœnobium è Paderbornensi diœcesi traducta sit Colonia. Quippe cum Hermannus Episcopus, Pader-bornæ congressus cum Sifrido Episcopo nostro, didicisset floren-tem disciplinam pietatemque religiosorum hominum in Hardehusa-no Cœnobio, & ipse & ceteri Comites incensi sunt ardore gemi-num Hardehusanum Cœnobium condendi.

Inde hoc anno introducti primùm solemni ritu Monachi ex Cœnobio nostro Hardehusano; ut vetus habet versus in Marienfel-densium annalibus.

Ferte Dei zelum, si scribitur e sine CeLV M:

Grex iit hinc dexter, si subdideris tamen XXX ter.

Sed planius hæc cognoscentur ex foundationis tabulis, quas hoc anno Hermannus Episcopus, Lucio tertio adhuc vivente Pontifice, & Fri-derico Imperatore consignavit.

*In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Hermannus Dei gratia Mo-nasteriensis Episcopus secundus. Quotiens ex devotione fidelium, vel obla-tione Principum Ecclesia Dei rationabilibus proficit incrementis, oportet nos, quos non æstimator meriti, sed gratiæ largitor Dominus tanquam speculato-
res*